

[inquit] qui primi de natura rerum per fabulationes quasi quasdam scripsere, Petre Bembe, tradunt Geryonem quandam regnantem ad Hispanicum Oceanum, tres animas, tria etiam corpora habuisse: hisq; tribus fuisse usum. nimirum triplex corporis genus, triplex etiam animæ genus, mirificis his dictis innuere voluerunt. Siquidem genus unum est corporis, arborum, herbarumq; proprium, idq; à vegetatione solaq; corporis ipsius alimonia atq; enutritione, vegetabile dictum est: animæq; huius aliud officium est nullum, præterquam educatio. ipsa sola soli etiam inheret corpori, neq; extra se quicquam movet, nisi quantum succos ipsos, è quibus vegetatur, ad se trahit, attrahendo corpori insinuat, in proceritatemq; convertit. Secundum corporis atq; animæ genus est, quod à sentiendo nomen duxit. nam & corpus ipsum movetur per loca, & victum hic atq; illic queritando alitur, & anima ipsa videndo, audiendo, olfaciendo, gustando sic afficitur, ut corpus ipsum moveat, impellatq; ad ea exterius querenda, quæ profutura sentiat, contraq; ad ea fugienda, quæ videantur nocitura. neq; enim sine motu esse ipsius opera potest ulla, aut motus aliquis per loca corporeus ac suus absq; sensu. Hæc ipsa anima viribus his suis usa, per visum, per auditum, per olfactum, extra corpus ipsum penè egressa, ea quæ extrinsecus posita sunt, videtur sentire, atq; ita quidem sentire, ut diudicet quid ex illis profuturum atq; obfuturum nature sit suæ: indeq; sentiens anima vocatur. Atq; hæc quidem corporis & animæ duo genera naturaliter servilia sunt, tertioq; illi, quod rationale genus est, animæ obediunt. Hoc autem ipsum rationalis animæ genus, quantum à vegetante atq; sentiente recedit anima, tantum superiori illi nature aut potius (ut nunc loquuntur) essentia, quæ divina dicitur, sese adiungit atq; inherescit. Quocirca aliud quoddam corpus huic rationalis animæ generi attribuitur, tum figura tum temperatione diversum, ut sit, & vegetetur, & sentientibus utatur viribus, veluti ea corpora, quæ cum vegetabilia tum sensibilia dicta sunt, & tamex alio quodam modo, & figuratone & membrorum dispositione, & hu-

morum